

Disquisitio inauguralis medica, cur epilepsia hodie inter nos tàm frequens sit? ... / sub moderamine ... Dn. Eliae Rudolphi Camerarii, ... pro licentia, ... publico ac solenni submittit examini, in aulâ novâ, ad diem 31. Martij, Johann-Jacobus Schmidlin, Syndelfingensis.

Contributors

Camerarius, Elias Rudolph, 1641-1695
Schmidlin, Johann Jakob, active 1679-1680

Publication/Creation

Tubingae : Excudit Gregorius Kerner, 1680.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/s2urdxw9>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Disquisitionis Inauguralis Medicae,

Cur

EPILEPSIA

hodie inter Nos tam frequens sit?

Quam

Jussu & Decreto

Amplissimi atque Gratosissimi

COLLEGII MEDICI

In Inclita EBERHARDINA Universitate,

Sub Moderamine

MAGNIFICI DN. RECTORIS

DN. ELIÆ RUDOLPHI CAMERARII,

Phil. & Med. D. ac P. P. Ordin. Consil. & Archiatri

Wirtemb. longè Meritissimi,

*Dn. Patroni, Præceptoris atque Cognati sui omni
obsequij cultu æviternum devenerandi,*

PROLICENTIA,

Summos in Medicâ Facultate Honores, Insignia atque Privilegia Doctoralia legitimè ac solenniter impetrandi,

Publico ac Solenni submittit Examini,

In Aulâ Novâ,

Ad diem 31. Martij,

JOHANN-JACOBUS Schmidlin / Syndelfingenfis,

Tubingæ,

Nobilitate, Prudentiâ, Virtutum Nitore
& Authoritate Inclytis,

VIRIS

*Amplissimis, Consultissimis, Spectatissimis,
Gravissimis,*

DNNN.

PRÆFECTO,
CONSULIBUS,
DICASTIS,

Cæterisque SENATORII ORDINIS,
qui floret in Inclyta Metropoli

STUTGARDIA,
Singulis Membris,

*Dominis ac Patronis
suis Summis*

HANC SUAM INAUGURALEM,
In

Devoti animi signum,
Studiorum Symbolum,
&

Ulteriore sui suorumque commendationem,

Dedicatam & consecratam vult

NN. AA. SS.

Obstrictissimus Cliens

JOH. JACOBUS Schmidlin / A. & R.

Q D B V.

Præloquium.

Novitate velut cuncti, L. B. hodie pruriunt, ita in Arte Medicâ, quia Divinum Numen tot Nova in Ejus incrementum insigne, hoc Seculo, per Sagaces, Curiosos, & Sedulos Naturæ Scrutatores detexit, vix quid laudem aut attentionem meretur, quin Novum sit. Hunc pruritum aliquandò nimium castigaturus æternus Deus & Novos nonnunquam Generi Humano videtur immittere morbos. Est autem EPILEPSIA truculentissimus, quo vix Ægro, Medico & Adstantibus horribiliorem videas, Affectus, non quidem inter novos istos morbos, veruntamen hodie internos, præsertim in meâ nunc Patriâ, valdè frequens. Hinc, cum ex Decreto Gratosissimæ Facultatis Medicæ Inauguralis mihi Disputatio habenda, *Cur EPILEPSIA hodie inter Nos tam frequens sit?* scrutari, & Publico Examini proponere placuit. Quod antequam fiat, EPILEPSIAM primùm describam! Ut ergò propositum meum ad optatum perducere queam scopum, ante omnia Altipotentis auxilium intimis suspiriis invoco, ut Flamme Spiritus S. mihi clementissimè adesse velit. Fiat!

THE SIS I.

Nominum gnarus, gnarus rerum, ait cum Platone Rolsinc. Meth. Med. Spec. l. 2. sect. 2. c. 1. Ut subinde cum aliis receptam observem methodum, Nominis aggredior contemplationem. Derivatur autem Epilepsia communiter à Græco *Ἐπιλαμβάνειν*, quod idem sonat, acprehendere, sensus opprimere, corripere, occupare, &c. uti hoc apud Lexicographos satis superque videre est. Latini variis hunc affectum indigitant nominibus; unde Aliis dicitur Morbus Sacer, vel quòd credebant, illum divinitus loco pœnæ hominibus immissum, vel quòd afficiat partem,

quæ ferè sacra est, dignissimam, cerebrum nimirum. Aliis vocatur *Puerilis*, quòd pueris ob infrà recensendas causas maximè sit familiaris. *Herculeus*, quòd Hercules eò laboraverit, qui melancholicus fuisse creditur; vel quòd difficulter instar Herculis fortissimi vincatur & superetur. *Hippocrati Magnus* l. 6. de morb. vulg. sect. 6. text. 7. *Caducus* à cadendo, quoniam ægri subitò in terram prolabuntur. *Comitialis*, quia homines in comitiis plerunque invadere solebat, aut, quia secundùm *Quosdam* Comitiae, cadente in iis Epileptico, dissolvebantur. *Lunaticus*, non eò sensu generali, quò *Calvinus* in *Lexic. Iur. verb.* *Lunaticus*, sed eò, quò *P. Zacchias* quest. med. Legal. l. 2. tit. 1. quest. 14. §. 25. accipit, hinc *Lunaticus*, cujus in sacris *Matth. 17. v. 15.* fit mentio, *Epilepticus* fuisse à *Nonnullis* statuitur, vid. *Exc. Bartholin. de morb. bibl. §. 18. & 19.* *Paracelsus* lib. de orig. ex tribus primis substantiis cap. 6. *morbam Vitriolatum & Viridellum* vocat, quòd à *Vitriolo* sibi remedium petat. *Honoratus Bouche* *Morbum Scelestum*; *Avicenna* *Matrem* (Ego *Novercam*) *puerorum*; *Sonticum* cum *Plinio* *Quidam*, licet potius generale & multis morbis commune nomen sit; *Plautus* in *Captivis* *Insputatam* nominavit *morbum*; nam ut expuere inter amuleta habitum est *Priscis*, ita insputare saluti putabatur *Epilepticis*; *Mercurial. l. 1. Prax. c. 21.* Sputatorem hanc Veteres adhibuisse, ut contagium à se averterent, scribit. Germanis dicitur *die fallende Sucht* / *Fraiß* / *schwere Noth* / *schwehre Gebrechen* / *Fallende* / *schwehre oder böse Krankheit* / *der Wehetag* / *die Bichter*; *Das Elend* / apud *Saxones*; *der fallende Siechtag* / *Platero*; *S. Velsins* *Krankheit* *Grülingio* *Med. Pr. l. 1. p. 1. c. 5.* De hisce prolixiores videri queunt *Senn. l. 1. pr. p. 2. cap. 31.* *Sebiz. Spec. med. pract. tom. prior. part. 2. §. 2. cap. 4.* *Felix Platerus* tom. 1. *prax. de funct. lesion. c. 2. & Alij.* Huc referri meretur, quod *Willisius* refert de *Quodam Theologo*, qui *Dæmoniacos* in novo Testamento habitos tantùm *Epilepticos* fuisse conjectat; vid. *Idem* in *pathol. cerebr. cap. 2.* hinc forsan etiam à *nonnullis* *Dæmoniacus* morbus vocatur, vid. *Barthol. l. c. & Kozack.* Sed nunc ad *παραμολογίαν* properandum.

Th. II.

Est autem *Paroxysmus Epilepticus* non ipsi ægro solùm molestissimus, sed & horribile & abominabile adstantibus spectaculum; cadunt enim ægri subitò ad terram, totum corpus mirè contorquetur, subsilit, movetur huc illuc, manus ac pedes nunc contrahuntur, nunc extenduntur,

duntur, ægri nullibi ab invasione tuti, capite, brachio, manibus pedibusque terram, parietes, strataque pulsant ac concutiunt, oculos variè movent, torvum vident, dentes constringunt, linguam, si promineat, mordicùs scindunt, clamant, vociferantur, ; nihil sentiunt, spumant; vox ipsis gemitus est, suspirium sonus, respiratio suffocatio; quidam alvum & vesicam exonerant, semen profundunt, spontè sudant, hinc *Aræus lib. de caus. & sign. diut. cap. 4. Triste medium fidius est ipsum invasionis spectaculum, turpis & ejus desinentia cum stertore & lotio, & spontaneâ ventris solutione.* Patheticè describit *Paracelsus d. caducis l. 1. §. 2. Oriente procellosâ hâc minoris mundi tempestate nebulosissimis obfuscatur extemplò fumis coruscans sensuum serenitas, frigido torpore stupet functionum principum alacritas, ignea veluti portenta jaculantur oculi, spumescantibus humida labra perfunduntur pluviis, tandemq; miserabili ventorum injuriâ omnia œconomix microcosmicæ membra horribiliter turgentia intremiscunt, totus denique vitæ humanæ Rector s. Archæus ingenti ac penè incredibili adversus insensissimos hosce fumos irâ accensus confusissimum ubique explicat furorem.*

Th. III.

Hinc fluit *Definitio*: Quòd sit motus convulsivus totius corporis, cum detentione principum functionum, sensuumque eùm internorum tum externorum, ab insigni nervosi generis irritatione.

Th. IV.

Symptomatum classi me Epilepsiam inserere, & hinc illorum, qui substantiam faciunt, castra deferere, hîc statim patet. Genus posui *motum convulsivum totius corporis*, quò à convulsione solâ distinguo. Cum autem tot occurrant in hoc affectu actiones læsæ, cui primum tribuere locum velint, dubii & discordes sunt *Artis Nostræ Proceres*, ut non malè omnium actionum permissionem hîc esse dicat *Monavius Lanc. Satur. rer. Medicar. miscell. 3. segmin. 32.* Cessationem, ablationem functionum animalium *Quidam* dicunt, *Alij* tamen functionum principum sensuumque omnium detentionem motui convulsivo præponunt. *Trallianus lib. 1. cap. 15.* dicit: *Capitis vitium est, ubi sensus motusque origo habetur; quòd autem capitis morbus sit, testatur hoc, quòd per accessiones agris contingit, neque enim audire aut videre aut intelligere prorsus aut meminisse alicujus possunt, sed omni destituti sensu jacent, mortuis non dissimiles; quòd de Epilepsiâ perfectæ nomine indigitari solitâ verum est.*

Ego subiunxi hanc, cum ille motus totius corporis, & hinc etiam cerebri cum suis partibus ac nervosi reliqui generis ad liberandum se ab illo hoste institutus detentionem dictam inducat, adeoque hæc effectus motus sit. Ille apud *Celsum l. 3. c. 23.* concidens absque distensione, si Epilepticus fuit, convulsivè movebatur.

Th. V.

Quærat autem hic aliquis, quæ motus hic fieri possit, cum sensus tactus perierit, atque sic Natura contractionem moliri nequeat, ut exequiatur rem noxiam, neque ratio hunc imperet, cessante appetitu cum imaginatione? *Willis. in pathol. cerebr. c. 2. p. m. 16. & seqq.* meningum spasmodicam irritationem rejiciens, Paroxysmum epilepticum à spirituum animalium, cerebri incolarum, (qui *Ipsi* sunt primum & immediatum hujus morbi subjectum) subitâ quâdam rarefactione & explosione concitari, hinc cerebrum inflari, adeoque insensibile reddi, simulque nervos appensos in convulsiones agi putat; unde copula heterogenea & explosiva, particulis nitrosulphureis constans, spirituum animalium particulis spirituofalinis accrescens, ab iisque ob plenitudinem aut irritationem denuò elisa & explosa symptomata convulsiva producit secundum eundem loc. cit. *Carolus Piso* soli causæ morbificæ propriâ vi hunc effectum dare valenti adscribit. *Platerus* effusis s. profusis à cerebro spiritibus animalibus in nervos cerebro continuatos adscribit; unde tunc sensus internos vel omnes, vel aliquos, prout major vel minor illorum cerebrum derelinquit copia, cessare putat; movendi vero vim minimè aboleri, cum Spiritus illi adhuc in nervis persistent. Ego, si omnes in exterioribus ac interioribus læduntur sensus, in motum actus à spiritibus animalibus p. n. partes eundem pro viribus continuare ad propellendum adversarium, quem nimis primò sentiebant, dicerem: Si aliqualis adsit sensus, non quoad actum reflexum adesse haud inconcinne *Quidam* dicunt. Sensatio s. perceptio interior quin quosdam adhuc exerat actus, exterioribus speciebus eò pertrahere non valentibus, quid est, quod prohibeat?

Th. VI.

Addidi: *Totius corporis.* Hoc enim adæquatum Epilepsiæ Subjectum cum musculis suis est, quod secundum omnes partes variè convellitur, & miris movendi modis agitur. Dum autem tumultus ac turbæ tales, post describendæ, in toto instituuntur corpore, non solum immunenon est, sed & multum in hoc negotio ac turbine versatur aut deti-

detinetur Cerebrum, Director dicendus inordinate turbatur; hinc principes illarum functiones, sensus interni & externi cur detineantur, in apri-
co est. *Willisus* Spiritus animales peccantes, depravatos & instar pul-
veris pyrii explosos accusat; at de his mox. Verum additum motum
solidarum concurrunt partes, muscoli, horumque potissimum tendines ac
fibrarum, non quidem instar funis tractarum, non repletarum, non inanitarum, sed, ut
patebit, ob irritationem tam variè & tantum non inexplicabili modo
contractarum & relaxatarum variè motarum. *Quærenti*, an solus homo epilep-
sia laboret? *Respondes* negando, cum per *Experientiam* manifestum
sit, coturnices, alaudam, accipitres & graculos, picas & perdices, ca-
pras & oves, capos, canes, feles, porcos, sciuros, equos, psittacos,
simias, & præsertim salaces passeret haud immunes esse ab hoc malo,
ut historiarum hinc inde apud varios *Autores* abundè satis testantur. His-
ce autem missis, de Subiecto humano mihi res est.

Tb. VII.

Insignem nervosi generis irritationem pro causâ pono. *Galenus* l. 3.
de loc. aff. c. 5. & 7. sect. 2. aph. 24. & aliis locis statuit, apoplexiam & epilep-
siam esse quodammodo affines affectus, cum & eundem locum affec-
tum & eundem humorem habeant mali causam; Hæc differunt, inquit,
quod apoplexia fiat propter virtutis ad nervos affluentis plenam consum-
matamque privationem: epilepsia ob motum vitiosum & perversum; quin
etiam utrobique est humor frigidus & crassus. *Sylv.* l. 2. prax. c. 20. §. 56. laten-
tem esse veram epilepsiarum causam dicit; & *Crato* unicè in votis habuit, ut
ante vitæ suæ exitum *DEUS* ipsi revelaret veram & genuinam epilepsiarum
causam & curationem. *Ethnici* varios confinxerunt Deos, *Autores* hu-
jus mali, peccata hominum punientes, inter diversas species cujusvis
singularem *DEUM* causam dicentes; Quæ cum vehementi membrorum
distorsione & sæcum alvinarum ac urinæ excretionem contingebat, pec-
nam ab *Hecade Enodia*; quæ cum silentiorâ voce & maximis in latere
dextro convulsionibus, castigationem à *Dea Cybele*; quæ cum voce cla-
râ, forti, & manuum aut pedum fluctatione seu volatu, præcipitatio-
nem ab *Apolline Nonio*; quæ cum clamore instar hinnientium equorum
ac fero & perverso vultu, castigationem *Neptuni*; cum timore & terro-
re, præsertim noctu, & fugâ, iratam abreptionem ab *Hecate*; cum
calcitracione manuum & pedum, & magnâ circa os spumâ, magnum
à *Marte* infortunium dicebant. *Præcitatus tamen Sylv.* seq. §. 73. spiri-
tibus animalibus malè dispositis & vitiosis adscribit, quam malam di-
spositi-

spositionem nec in copiâ . nec puritate , nec mobilitate , verùm in læsâ continuitate & conturbatione consistere statuit ; §. 80. & 83. adeò , ut proxima læsarum primariò in epilepsiâ functionum causa sit animalium spirituum à sensoriis averſio , ſ. amandationis naturalis ad ipsa defectus atque ad motûs organa interruptus , inordinatus , conturbatusque ac vehemens motus. Spiritus , cerebri incolas ad explodendum dispositos , ibidemque explosos , caducum omnem inferre prolixè probare tentat *Willis. pathol. cerebr. c. 3. p. m. 16. & seqq.* quam etiam fovet sententiam *Georg. Kovacs Tatai in Hercul. verè cognito p. 10. 11. Vid. Amman. Paranes. p. 212.*

Th. VIII.

Ego nervosum genus insigniter irritatum accuso. Nervosum genus , spiritibus nimirum animalibus & Directore nervoso instructum ; nam maxima hîc familiaritas , mutuus perpetuus hîc respectus , arctum semper vinculum inter Directorem sive Præsidem , ut *Excell. Dn. D. Wepfer, Consiliarius & Archiater Wirtemb. Proto-Physicus Reip. Scaphus. Celeberrimus , Patronus meus Insignis , in histor. cicut. aquat. vocat ,* Spiritus animales & instrumenta quocunque modo istis negotiis inservientia , ut nisi mente separare , aut ad minimum separata in debitâ suâ detinere quidditate ac functione non liceat Medico aut Physico activo. *Quenam autem pars sit corporis , quæ afficiatur tali modo , ut irritetur genus nervosum , sciscitanti , membranam nerveam esse repono.* Hâc igitur laceffitâ nimium in quacunque corporis parte , in subsidium vocatus Præses ille ſ. Director , satellitibus suis spiritibus quidem instructus , plures imò omnes in toto corpore copias suscitât , armât & hostem motu illo ejicere conatur , sive Director ille cieatur primò à per- vorum principio , sive primò à quacunq; aliâ parte membranosâ potissimum affectâ , quem motum perversum , mirum ac vertumnosum fibræ perficiunt. Non cor , non cerebrum , non *Cartesianam* glandulam , non *Helmontianam* tenuem ventriculi membranam , non foveam septi lucidi *Digbæanam* , principale aut universale subjectum esse ex his patet. An naturalis , ut loquuntur , *Facultas* , an *animalis* , an utraque , & quæ primò afficiatur , prolixè *Præsides Medicinæ* disceptant. Ego , in terminis si non luditur , facilè ex dictis rem decidi posse autumo.

Th. IX.

Causa autem irritans quæ sit , non una omnium mens est. Secundùm *Nicol. Pisonem de morb. cognosc. & curand. lib. 1. p. 65. ex* senten-

sententia Veterum humor crassus, lentus & ferè semper frigidus epilepsiam procreat, isque vel pituitosus vel melancholicus, rarò sanguineus, rarissimè aut nunquam biliosus, quem humorem crassum non adeò multum esse oportere dicunt, ut penitus obstruat, vimque ipsius cerebri exuperet, alioqui non epilepsiam, sed apoplexiam pareret, verùm quantitate mediocrem, ut ad ejus depulsionem, quam Natura totius corporis concussu molitur, cerebro vires adhuc suppetant; similem obstructionem flatus ac spiritus crassos efficere posse. Spiritus nimium agiles sunt Qui incusent; Pelops, Hippocrates & Aristoteles flatus, spiritus huc duxerunt, quorum Quidam asseclæ instar terræ motûs fieri epilepsiam statuunt. Sylvius l. c. causam animales spiritus ad paroxysmum producendum disponentem esse spiritum acidum volatilem, quâcunque demùm in parte generatum coacervatumque, atque inde ad cerebrum delatum, spiritibus animalibus junctum, ipsos divellentem, impetuosè commoventem, ac proinde à blando, continuo, ordinato, & voluntatis imperio subiecto motu ad interruptum, inordinatum, conturbatum, impetuosum & violentem deducentem suspicatur §. 92. p. 426. Quercet. tetrad. aff. cap. c. 11. scribit, nullum ex vaporibus Epilepsiam producere posse, nisi sit naturæ vitriolicæ. Paracelsus morbum hunc interdum Mercurialem, interdum Salinum, interdum Sulphureum vocat. Petrus Severinus vitriolum Mercuriale mali hujus radicem statuit; Barbette lympham acrem, Deckers acido austeram nervos vellicantem. Osm. Croll. in Basil. Chym. p. 116. Epilepsiæ generationem cum Tartari vitriolati præparatione comparat, dicens: In hac mutuâ effervescentiâ ex conjunctione duorum ignium observatur epilepsiæ generatio, quando videlicet spiritus vitæ in microcosmo ab heterogeneis concitatus simili modo ebullit. Acidus, austeros, ponticos, volatiles & acres Alij; Alij aluminosos, acido falsos volatiles, armoniacos humores; flatus tales Alij. Iorebnius in prax. chymiatr. sect. 1. cap. 5. Mercurium vitriolatis vaporibus imprægnatum & cum spiritu sublimatum; Scharffius cum quibusdam de venen. p. 172. particulas spirituosas salinas & nitro-sulphureas accusat; Alij sulphureum anodynum somniferum addunt. Mercurialem morbum, quia cerebri Rectorem Mercurium pro causa habeat, vocant Alij; Mercurium cremosum insi â vi in rabiem suscitatum, caducum, cujus cum fulgure eadem sit generatio & conditio, excitare statuunt Plures. Ventosam materiam

tetrâ & infestâ qualitate infectam Alexander Camerarius, Magnif. Dn. Præsidis Pro-Avus Diss. de Epilepsia th. 8 pro causa ponit. Quicquid sit; tenuem tamen illam materiam monstrat quotidiana experientia, cum compertum sit, quosdam à vaporibus pravis epilepsiâ correptos esse; sic ex suffitu succini, galbini, styracis, &c. Auctiores notârunt; sic ex Mercurii sublimati, aquæ fortis vapore & odore Sennertus Aliique natam Epilepsiam observârunt. Tenuis scil. talis materia spiculis suis, s. mediante sanguine membranosas partes, sive mox membranam narium aut alias pungit.

Th. X.

Adversum quodcunque lādere, vellicare, & laceßere ad istum motum valet, potissimum *acria*, rodentia, vellicantia, acrimonia sive sit biliosa, sive acida; spicula sive scindant, sive pungant, sive lace- rent, sive quocunque modo sylvestria illa agent. In *occultâ qualitate* illam quærere *sagaces* hodierni causarum Scrutatores vetant. Acrimonia tamen non omnem, etiam intensam, ita laceßere, ut animales spiritus Directore suo instructi advocandi sint, ut totum ita quassent pro eliminando hoste corpus, inter plura alia, sequentia pauca *Experimenta* (de quorum veritate fidem do Magnif. Dn. Præsidis, Patroni mei Maximi) docere mihi videntur. Abscessus cerebri per nares soluti pus fundentes acrimoniâ nares & vicinas partes cum maximo dolore rodentes membranas cerebri dubio procul etiam attigerunt, sed haud rarò absque epilepsiâ. In oculum inflammatum aqua fortis loco ophthalmicæ ex errore infusa dolorem octidianum ad desperationem usque vehementissimum, sed absque epilepsiâ induxit. Irritantur vehementer intestina & ventriculus à spiculis in cholera, ac diverso utrobique modo, sæpißimè absque Epilepsiâ. Ejiciuntur per superius, per inferius guttur haud rarò humores metalla rodentes, in corpore absq; Epilepsiâ versati Cancer variarum partium, morbus Gallicus, Spina ventosa quascunque etiam nervosissimas obsidens partes rarissimè epilepsiam inducit. *Acria* è triplici salium genere varia, intensa, volatilia, fixa infusa vulneribus aut ulceribus tumultum hunc non excitant; Aqua fortis peritiorum hodie Chirurgorum anchora in sinuosis fistulis profundioribus convulsivo isto motu non agitat corpus. Arsenicum & Mercurius Sublimatus assumpta non semper epilepsiam excitant, quod & miratur Excell. Dn. D. Wepferus in histor. cit. cap. 21. Ipse

mihî respondeo, requiri & receptivitatem patientis, potissimum hoc in negotio membranam non munitam, nervum denudatum, multum referre, quâ humor oblinens nervos & membranas plerunque mucosus se habeat. At & ipse repono, nervos nudos tangentia (pungentia non dico) variâ aliâs acria, imò inter venena ab *Authoribus* recensita, epilepsiam non semper excitare; si munita muco aut quomodocunq; essent, membrana ab acribus continuum solventibus tam intolerabiles diuturni sæpè, sed absque Epilepsiâ, non possent oriri dolores. Injectus per siphonem quocunque Chirurghi sive errore sive vitio sive bonâ intentione in vesicam à calculo agitato & vehementioribus diureticis muco privatam Liquor subacidus Corallor. M. enormissimos inenarrabiles dolores, non tamen Epilepsiam, excitavit. Ventriculum quâ singulas membranas rosam, ulceratum, imò perforatum à nimio Spiritus Vitrioli usu sectio cadaveris nunquam Epileptici monstravit. Plures in variis partibus dolorum ferocissimorum species absque nostro malo membranam tangere causam ibi, ubi sensibilis est, docent; In suprâ adductis morbis, ubi tota massa sanguinea acribus scatet particulis, cur non & nervorum ac membranarum intimæ communicarentur substantiæ, quod & dolores probant. Annon secretio sapidorum, quod Hippocrates innuit, (Sulphureæ enim partes mitigantes sibi solis relictæ, sicut variam corporis in valetudinem, ita & Salinæ nimium separatæ varios affectus p. n. inducunt,) annon effervescencia hostilis p. n., annon tertium exinde resultans in istas usque agens turbas hîc aliquid addat, pensitatu dignum. Interim tale quid vehementer acre, pungens, quod ita laceßat, ut in subsidium vocentur Spiritus animales à suo directi Præsîde, & totum hoc modo concutiatur corpus, in membranam facîle lædi aptam, non assuetam, non probè munitam, valdè sensilem agens, pro causâ istâ irritante pono.

Th. XI.

Causa ad generationem talium irritantium quocunque modo concurrentes sunt *Res vel naturales vel non naturales, vel praternaturales*. Inter *Naturales* primum locum obtinet *Idiosyncrasia* s. *dispositio nativa* nervosi generis huic malo cudendo aptior, nonnunquam *hereditaria*, quæ ad affectû hujus fomitem eò facilius recipiendum facit. Non tamen semper necessarium, ut filii epilepticorum etiam fiant tales, etiam si dispositi sint, & seminalem characterem acceperint; diu enim sub ci-

neribus scintilla occultari potest, hinc filius malum à se avertere & fomitem in suum filium promovere potest, ira ut ab avo nepos inficiatur, fomes aut character s. hæreat in minera, sive in partibus; imò in tertiam usque & ulteriorem regenerationem propagari per Spiritus radicales charagma illud retinentes docet *Windig. Nov. Medic. Spir. l. 2. c. 4. §. 20.* Fomes enim s. character idealis ille ut maturetur, quod demùm fit, cum à detinentibus & vincientibus liberatur, necesse est. *Astra* ad hunc morbum quid facere, ipsa per paroxysmorum revolutionem docet *Experientia*. In genere quidem Astrologiam Medicis necessariam esse *Iohannes de Carmona Medicus ac Philosophus Hispalensis in singulari tractatu* inficiatur, & cum eo *Alij Plures*. De viribus Astrorum in sublunaria vid. *Didacum Prittum Pelusiensem*, vel potiùs *Placidum de Titis Perusinum in Physic-Mathematica*. Portendere hoc malum Lunam in ortu, & signo Geminorum cum Aldobaran, de natura Saturni & *Cent. 1. genitur. 13.* partum in Eclipsis lunaris medio cum aliis aspectibus *genitur. 99. & 100.* plurimas se habere Genituras Epilepticorum in quibus ea præcipuè respondeant, quæ *Ptolemaus* de iisdem observârit, scribit *Dn. Camerarius, Magnif. Dn. Præsidis Avus, Hor. Natal. in quarum Cent. 2. Vid. & genit. 4. 10. 41. ac Memorab. Medic. Ejusd. Cent. 2. partic. 38. Cent. 6. partic. 55. 58.* Item *Iunctin. in Specul. Astrol. Origan. Cent. 1. p. 3. c. 13. Abd. Trem, Carrichter. & Alios.* Potissimum, qui Epileptico miasmata faveant Aspectus, in specie explicat *Rolfinc. Meth. Medic. special. Comment. l. 2. f. 3. c. 47.* Imprimis verò illa ab Ægyptiis Mundi Mater vocata à Sole gravida facta Luna multum hîc valet. Vid. *Goclen. pro Astromantia, p. 30. Kircheri Itinerar. Ecstatic. & Magin. de legit. Astrol. in Med. Vs. c. 28.* *Ætæ* etiam una præ alterâ ad hunc affectum inclinât; sic puerilis (unde morbus infantilis, fulgor puerilis *Hippocrati* dicitur) præsertim dentitionis tempore ad hunc morbum satis prona; dum enim massa sanguinea tota quasi criticè movetur, & gingivæ perforantur in perruptione dentium, dolor adest intensissimus, membranæ istæ valdè sensiles ab acutis dentibus punguntur, spirituum animalium ad hostis propulsiorem opem implorant, quò lactis in ventriculo corruptio, & nonnunquam vermes multum faciunt. Ex insigni plethorâ à copioso lacte, quo nutrix supra modum abundabat, copiosissimè sucto puerum undecim septimanarum incidisse in Epilepsiam notavit *Timæus l. 5. obs. 8.* hinc monet *Idem*, ut caveant nutrices, ne pleniore

niore victu tenella infantum corpora onerent, cū infantes succi pleni facili Epilepsiam incurrant, quod olim jam observavit *Aristot.* cujus *l. 7. hist. animal. c. 12.* hæc sunt verba: Solent pueri plurimi convulsione excipi, & præcipue corpulentiores, & lacte vefcentes copiosiore crassioreque, & nutricem lactentes plenam & corpulentam. *Fascinum* cum accusatur, sæpius solus terror aut timor trucidis deformis vetulæ humores agitans alterans causa est. Juvenilis etiam ad insultus epilepticos disposita est, *sec. 3. aph. 29.* quod tamen *Galenus* non tam ex ætatis naturâ, quàm ex intemperantiâ fieri rectè docet. *Sexus* ratione virgines & mulieres epilepsiæ minùs sunt obnoxie, dum singulis mensibus debite repurgantur; contra, *sin secus.* Melancholicum Temperamentum huc conferre testis est *Galenus 3. de loc. aff. c. 7.* inquiens: *Melancholici magnâ ex parte comitiali morbo afficiuntur, & contra morbo comitiali laborantes efficiuntur melancholici.* Hi enim prompti sunt in hunc affectum propter acredinem sanguinis; hinc quoque *Hercules* epilepsiâ laborasse creditur ab *Aristotele*, quod Melancholicus fuerit. Omnes humores sive naturales, inter quos liquor nervinus potissimum, degenerantes, sive præternaturales, ad affectum hunc producendum suum conferre possunt symbolum, qui tamen non tam considerandi quoad molem & quantitatem, quàm quoad particulas acidas, acres, spicula varia dicto ante modò agentia.

Th. XII.

In *Non naturalium* classe occurrit *Aër* variè impurus, aliquando & contagiosus, qui non per poros modò, ac cum cibis, sed potissimum in pulmonibus sanguini mixtus variè hunc format, movet, imò & nervis allidens ac membranis, diversimodè afficit. *Vernum* tempus feracissimum hujus morbi ipse *Caus* pronuntiavit *3. aph. 20.* hoc enim utut aliàs saluberrimum, tamen maximè lethiferum, dum collectas fuligines, reſeratis iterum poris, commovere & expellere *Natura* conatur, quæ si deficit, fuligines acres per hyemem copiosè collectas & in vere motas relinquit in corpore, quæ pungunt membranas, & in istas angustias detrudunt; non rarò quale corpus invenit ver, ita suâ agitatione judicat. Reliqua tamen anni tempora excludi nequeunt. Diuturna mora sub radiis Solaribus ab *Hipp. de morb. sacr.* inculatur. Inedia causa sæpè fit. *Cibus* & *Potus* multis modis hunc affectum producere valent, cum quantitate, cum qualitate & utendi modo peccantes. Sic ex esu

faustum horariorum & lactis nimia ingurgitatione puellam epilepsia correptam fuisse refert *Franc. Hildesheimius Spicil. 7. ex esu coturnicum, turdorum, ostrearum & cochlearum æger apud Rolfinc. in Consil. med. Consult. 12. malum hoc contraxit. Cibi etiam nonnulli peculiari vi epilepsiam excitare creduntur; sic petroselinum & apium accusantur, quæ tamen liberat Camerar. memorab. med. Cent. 16. part. 21. & seq. Cerebrum passeris, lentes accusat, an meritò? Iulius Alexandrinus, fungi, tubera, anguillæ, ut de Studio quodam refert Bened. Victorius, carnes hœdorum, hepar caprinum, & alia suspecta habentur. Coturnices an convulsiones pariant? Vid. Camerar. l. c. part. 16. & seq. Inter alia autem mukum etiam conferunt dulcia & saccharata, hinc non semper medicamentis infantibus propinandis sunt addenda, ut plerique faciunt. Ingluvies, frequens crapula, frequentior, quam vulgò creditur, causa est. Vinum generosum & minus dilutum fomittem huic malo subministrat. Ex pulve avenaceâ & superbibitâ cerevisia, comestis etiam tribus ovis & lacte superbibitò caducum contraxit æger apud W. Gabelchov. Cent. 4. obs. 58. Medicamenta repellentia in podagrâ induxerunt Epilepsiam apud Welschium obs. medic. Phys. Hecatost. 2. obs. 11. Motus corporis vehementior variè confundit humores & totam massam sanguineam. Ab alapâ ortam describit Langius tom. 1. Epist. 10. Torpidum corporis otium nonnunquam & causam hinc colligit. Somnus & vigilia excedentes mali hujus fabri fiunt variis modis. Dormientem epilepsiam per partum nonnunquam expergisci dicit Grembs arb. integr. & ruinos. hom. l. 2. c. 1. §. 10. n. 25. Excreta & Retenta mediocritatis leges excedentia quid non conferre possunt? Vel enim propter nimiam excretionem s. sanguinis s. aliorum humorum mitigantium acres acidæ vellicantes particule relinquuntur, blandioribus evacuatis; à V. S. eo die, quo Eclipsis Solis in Ariete erat, institutâ, epilepsiam in juvene, aliàs huic malo non obnoxio, excitatam fuisse testatur Mæbius Inst. p. 263. à V. S. in corpore cacochymico sine præviâ purgatione institutâ Hildanus c. 4. obs. chir. c. 22. ex esulâ hypercatharsin ac caducum notavit Salmuth Cent. 1. obs. 40. ex immoderatâ Ventre Rolfinc. l. c. ex impuro coitu viri alicujus cum fœminâ puerperâ in secundâ puerperii septimanâ, mulier mirabili epilepsia correpta fuit, notante Gabelchov. Cent. 2. obs. 45. Venus intempestiva, meditationes nimix haud rarò caducum inducunt. Vel propter diuturnam retentionem*

nem fit depravatio humorum, qui ad membranas allidentes epilepsiam producunt. *Animi affectus* plurimum valent in hoc affectu producendo; præsertim verò Terrorem portentosum hoc morbi genus, ut cum *Excell. Dn. D. Mezg. Patrono atque Præceptore meo æviternum colendissimo, ex Disp. 3. de circ. sang.* loquar, excitare posse, exemplum *Fr. de le Boë Sylvij l. c. §. 62.* satis abundè testatur, ubi mulier pestis tempore vehementi metu & perturbatione perculsa, & ad minimum tumultum atque hinc ortum terrorem toties novum paroxysmum mox passa est; rationem in seqq. censet Idem, quòd spiritus animales, qui ad sensus externos & internos, ut & animi corporisque motus necessariò concurrunt, interrupto & inordinato motu agitentur. Et quidem Terror à diversissimis speciebus visui auditui objectis subitis, inopinatis vehementibus, horribilibus inductis malum hoc gignere solet, testibus *Gabelchov. Cent. 4. obs. 24. & 59. Amato Lusit. Joh. Bapt. Montano, Schenckio & Aliis*; quæ causa non rarò priori causarum ordini inferi postulat. Ipse tamen *Gabelchoverus* etiam observavit terrorem epilepsiam curasse, *Cent. cit. obs. 23. & in Schol. Ex viso casu Epileptici Christ. à Vega l. 3. de art. Med. c. 12. ex detractionis capitis aspectu Weinrich. de monstis c. 15. Ex perfusione aquæ inopinata describit ortam Höchstett. part. 2. obs. decad. 4. Schol. ad cas. 8.* quæ causa ex irâ Epilepticum factum liberavit, teste *Gabelch. l. c.* Ira, timor, mœror, sollicitudo, dolor, quantum hîc valeant, experientia quotidiana & Medicorum loquuntur observationes. Vid. *Authores.*

Th. XIII.

Res p. n. variæ in excitando morbo Epileptico potentissimam obtinent vim, ut sunt febres quædam ardentes; id quod fit, quando sylvestre, volatile, acidum, rodens, realgaricum istud venenum membranas nerveas ita vellicat, ut auxiliatrices advocare sæpiùs dictas necesse habeant copias; vid. *Excell. D. Scretain tract. Germ. von der all gemeinen ansteckenden Lagerfucht.* Insupradentitio, variolæ, morbilli, potissimè ante eruptionem, hunc morbum, teste experientiâ, sæpiùs producunt, vulnera capitis, abscessus, sanguis extravasatus in cerebro, percussio oculi, temporum, cephalæa, vertigo, araneæ & equi morsus, morbi ventriculi, lienis, epatis, uteri, spasmodicorum hysterici vocat *Ballonius*, ulcuscula capitis, pedum, scabies retropulsa, colica, vermes, menses obstructi, & alia affectus hujus creber-

creberrimè sunt suscitabula ; exempla vid. apud *Salmuth Zacut. Fernel. & Alios.* Adstrictioni alvi & vermibus non raro debentur insultus Epileptici.

Th. XIV.

Differentias si consideramus, Alia Epilepsia dicitur *perfecta & universalis*, supra descripta, Alia *imperfecta & particularis*, quæ solum unam aliamve partem spasmodicè motam levius aliquando, aliquando gravius affligit. Alia *fortis* s. *vehemens*, alia *debilis*, quando paroxysmi cum vel sine casu, cum vel sine gravioribus symptomatibus, postmodum describendis, invadunt. Alia fit vel ante vel post *pubertatem*; alia *fœminas*, alia *mares* tenet. Alia *comatodes* (quam *Avicenna* Epilepsiam sine spasmō sensato vocat, de quâ *Gustavinius* l. 2. *select.* 29) est, Alia non. Alia est *Epidemica*, alia *Sporadica*. Alia *hereditaria*, alia *acquisita*. Alia à causa *internâ*, alia ab *externâ*; ex. gr. gravi animi affectu, ut irâ vel metu insigni, terrore, & quidem inopinatò excitato; aliquando fit ab utraque, unde in dispositis ad epilepsiam sæpè minimus tantum & inopinatus strepitus metum vel terrorem adferens paroxysmum excitat. Alia *recens*, alia *inveterata*; Alia *radicata*, alia *mobilior* est. Alia *inordinata*, cujus insultus sunt vagi & incerti, alia *ordinata*, quæ certos periodos observat. *Idiopathicam & dexteropathicam* communi modo non dicendam censeo. Illam, si quis dicet, cum irritans cerebri tangit membranas, hanc cum aliam quandam partem, stare forsan poterit. Cum sanguine quin talia miasmata cerebro communicentur etiam ab alijs partibus, nullus, sed an in omni Epilepsiâ à partis hujus vel illius culpâ orta tali vehiculo adduci opus sit, aut soleat, valdè dubito. Pro ratione complexionis *varia* est, prout nimirum ista vel est *Humida*, vel *Ulis*, *Stialis*, *Caris*, *Freca*, *Trialis*, *Draca*.

Th. XV.

Signa imminenti prædicentia Epilepsiam sunt, si calor summa deseruit, & incertum lumen, nervorumque trepidatio est, si memoria subladitur, caputque versatur, splendores instar iridis oculis obversantur, odorem fœdum sentiunt, aures sonant, bilis præter rationem accenditur; Capitis dolor & gravitas, pallor faciei, inordinatus lingua motus, tristitia quadam percipitur, sunt verba *Senn.* l. 1. p. 2. c. 31. quibus addit *Sylv.* l. 6. §. 49. Quoties ab ipso ventre infimo elevantur halitus Epileptici, accidit quibusdam, ut ante paroxysmum sentiant in abdomine agita-

agitationem & molestiam non satis explicabilem; quam ferè comitatur aut mox excipit jam enarrata capitis gravitas & molestia itidem non satis explicabilis. Miseri ægri Astromantæ sæpè præter voluntatem fiunt, & motus Dnæ indicant.

Th. XVI.

Præsentis paroxysmi signa adstantibus abominabile & horribilissimum præbent spectaculum, uti in Th. 2. satis superque dictum fuit. Subitaneus in terram lapsus, ubi ægri non tam cadunt, prout apoplectici aut syncoptici, sed potius cum impetu prosternuntur, non aliter, ut loquitur Willis. l. c. quàm si domus à pulvere pyrio explosa subverteretur, quæ ut plurimum extra locum, in quo steterat, dimovetur, contingit tùm ob fibrarum vehementissimam contractionem ac motum, tùm ob istam functionum internarum detentionem. *Motus convulsivus* variarum partium, & concussio totius corporis oritur ab illo conatu hostem propellendi, qui modò omnibus, modò certis tantùm imperatur partibus. Quòd autem non continuò motu illud conetur Director, causæ præsentis propulsio, dissipatio, excussio, vel spirituum defectus, nonnunquam aliud expediendum negotium causa videtur; Calcinata quasi minera quin novis imbui tincturis, vel profligata denuò generari, adoriri possit; obtusa spicula quin acui denuò possint, nullum dubium. *Spuma & pectoris concussio* à pulmonum, aliarumque partium respirationi dicatarum oppressione & irritatione dependet, vid. Willis. l. c. p. 23. A fibris perversè motis musculorum abdominis, recti intestini & vesicæ urinae & stercoris involuntaria fit excretio; *Seminis evacuatio* à musculorum ejaculatoriorum, vasorum seminalium, fibrarum contractione ac motu gignitur. Musculorum faciei convulsivus motus facit *constrictionem dentium*, ut & lacrymarum profluxum ex Diss. Magnif. Dn. Præsidis, Patroni mei Maximi & filialiter observandi, de lacrymis lib. 14. Thoracis stertorem, aphoniam inducit, Laryngis & vicinarum clamorem excitat. *Sudores Critici* interdum sunt. His signis meritiò additur *ἀνοία* & mentis omniumque sensuum cessatio à nimis istis turbis orta. Aliorum suprà dictorum ratio ex his faciliè reddi potest. *Stupor, delirium* post Epilepsiam à turbatis aut delassatis s. deficientibus oritur spiritibus. Quenam pars primaria sit causa, invasionis modus, prægressæ causæ, paroxysmi conditio & alii signorum fontes detegent. Paroxysmorum varias condiciones distinguentes ipsos ratione comple-

xionum à Planetis denominatarum vid. in *Helvetij Microscop. physiognom. Med. p. 39.* Sin malum sit Idiopathicum, cognosci dicunt ex præcedentibus capitis affectibus, ut vertigine, caligine oculorum, gravitate capitis, &c. Sin verò sympathicum sit, e. gr. ex ventriculo, cognosci ex illius continuâ turbatione & rofione, sec. *Trallianum*; item ex inedia, uti exemplo Grammatici apud *Gal. de loc. aff. patet.* Sin ex aliâ quâcunque parte, ægri distributionem mali manifestò ad superiora fieri percipere, idque quod futurum est, ipsis prædicere auræ malignæ ascendentis sensum. Quomodo *Sanctorellus* Virginem simulantem se epilepsiâ detineri falsitatis arguerit, narrat *ipse in Arte prax. l. 7. c. 19.*

Th. XVII.

Prognosis Salutis & Mortis variat secundum differentias & gradus. Sed nemo non affectum hunc pro gravissimo & periculosissimo habet, tum ratione sui, tum intuitu symptomatum & casuum, quibus epileptici sunt exposti; Oculorum vehementissimam contorsionem strabismus sequi solet, notante *Sylv. l. 6. §. 34. & plur.* Videas, ait *Idem §. 38.* qui ex gravi hoc affectu inciderint in fatuitatem & dementiam, alios, quibus omnes animi dotes, internis sensibus se manifestantes, multum fuerint debilitatæ. Hinc quò majori recessu à statu naturali peccat, eò gravior & periculosior. Idiopathica etiam difficilior curatu, quàm Sympathica. Longus morbus est ratione circuitus universalis; ratione paroxysmi acutus; hinc, quò longius etiam protrahitur paroxysmus, eò periculosior. Ante pubertatem amotionem recipit post 25. verò annum ferè comitatur ad mortem usque, pronuntiavit *Cous s. aph. 7.* hinc *Aræus l. 1. diurnum.* quod si malum hoc penitus infederit, atque radices egerit altius, neque ipsum Medicus, neque ætatis mutatio submovent, sed cum ægrotante vivit ac commoritur. Vid. *Willis. l. 6. p. 24.* Eadem ferè mutatio circa 25. annum contingit. Et si tunc non curetur, sæpè ad mortem usque perdurat. Difficillimè etiam curatu est, si sit hæreditaria, si ad usum sternutatoriorum æger non sternutet, notat enim Naturam valdè oppressam & debilitatam. Omnem tamen Epilepsiam curationem per medicamenta respuere inficiatur Experientia. Aliquando terminatur ad mortem, dum nimis istis ac vehementibus motibus, qui ad opitulandum & liberandum quidem instituuntur, principales partes à suo dejiciuntur officio, sanguis in motu impeditur vel spiritibus privatur, ac ita vires suffocantur, resolvuntur.

Aliquando ad salutem, quando conatui isti respondet effectus; aliquando in alium transit morbum, paralylin, stupiditatem aut melancholiam. Quartanam solvere aliquando epilepsiam cum Hippocrate Experientia, & in scabiem lepræ haud abfimilem hanc abiisse testatur Chilianus Diss. de Epilepsia c. 9.

Tb. XVIII.

Hæc de Subjeto Problematis; Predicatum experientia confirmat. Notum enim est, prohi dolor! inter Nos hinc inde, potissimum verò in Eâ, quæ Patria mihi nunc est, Metropoli valdè frequentem per lustraguzdam, præsertim hoc postremum, grassatam esse Epilepsiam modò perfectam, modò imperfectam variè ludentem, & adortam cujusvis ætatis, cujusvis sexûs, cujusvis statûs homines, ut non solùm Alius conditionis, sed & Medicæ Artilitantes Senes antehac talia in tantâ frequentiâ non audivisse se aut observasse testati fuerint.

Tb. XIX.

Causam hoc subjeetum & prædicatum copulantem rejicio in Febres & Colicam. Nec enim illa Epilepsia, quam hactenus Idiopathicam minùs propriè vocârunt, ego verò magis propriè Radicatam dici cense-rem, frequentior ac olim; Verùm illa mobilior, dictorum affectuum soboles, quamvis mineræ pertinaciâ, partium conditione, & temporis diuturnitate nonnunquam & hæc radicata fiat. Febres hactenùs grassatæ malignæ tam continuæ quàm intermittentes cum ad mortem duxerunt, vix eam nisi præviâ Epilepsiâ intulerunt, imò & Quidam, qui evaserunt, ab ipsâ immunes non fuê e; Colicaverò genii non multum ab istis febribus diversi, hinc modò præcedens, modò comitans, modò subsequens istas frequentissima hodie, in plurimis, etiam evadentibus, horribile nostrum produxit malum, plerunque Epilepsiam perfectam, aliquando etiam motus convulsivos alios varios. Hæc diversa ab aliis Colicæ speciebus, diversa etiam juncta habet symptomata, sitim, dolores acerbissimos, febriam aliquando, aliquando delirium, cardialgiam, &c. diversam penitus requirit curationem. Tamen in vita Ebo Sinæ commemorat Sorsanus Arabs, Interprete Marcô Faddellâ. Cantabris endemiam notavit Ezechiel à Castro de igne lambente c. 5. Hanc in Austriâ, Moraviâ, Pannoniâ frequentem nostris in regionibus raram esse, tamen pòst sæpiùs observatam à se in tractu Rhenano superioris Comitatus Cattimelibocensis scribit Horstius l. 2. Obs. 7. Aegi-

gineta malignam Epidemiam observavit, descriptam l. 3. c. 43. ubi verba illa : ἀπὸ τινος ψυχρῆς καὶ πυρρῆς διαίτης καὶ τοῦ μεροτέρας τὴν διαίτην, non verterem Diatam infidelem, ut Anpernatus, sed suprâ fidem cum van der Linden Select. med. select. 7. §. 52. vid. de hac Francisc. Ciresium in singul. tract. qui Salmasium, testante Diatrib. de annis Climactericis p. 730. ab hac, cū n Medicis reliquis Lutetiae non agnosceretur, liberavit. Hæc Colica, si uteri culpâ quâcunque vel remotâ sit, hysterica dici potest. In genere autem sæpè uterus absque culpâ suâ malè hic audit. Imò aliquando Epilepsia Crisis quasi in hac Colicâ est. Febres istæ ab effervescentiâ s. ebullitione acrim, sulphureorum, acidorum humorum, potissimum cum inflammatione internâ, oriuntur. Egressum istum spirituum ex globulis sanguinis quâ figuras inæqualibus, immutatis, confusè motis, destructis, pro causa hodie à Quibusdam adduci solitum ulteriori reservo meditationi, forsan in re hic posuæ causæ non contradicentem. Colica hæc à spasmodicâ intestinorum tensione, constrictione, corrugatione, expansione, introsusceptione intestinorum gignitur inductâ ab acrim, biliosis, acidis variis, scorbutico nonnunquam charactere tinctis humoribus. Dixi nonnunquam : Ecce enim insignem locum Sydenhami observ. morb. acut. sect. 6. cap. 5. p. 411. Liberè dicam, quòd licet nullus dubitem, quin Scorbustus in his plagis Borealibus reverà inveniat, tamen eum morbum non tam frequentem, quàm fert vulgi opinio, occurrere, persuasum mihi habeo ; multos autem ex his affectibus, (ne plurimos dicam) quorum nomine Scorbutum incusamus, vel morborum scientiam, nondum verò factorum, quique nullum adhuc certum induerant typum, effecta esse ; vel etiam infelices reliquias morbi alicujus nondum penitus detecti, à quibus sanguis, cæterique humores contaminantur. Et paulò post : Et sanè nisi hoc concedamus, scorbuti nomen, uti hodiè sit, in immensum crescet, & omnem ferè morborum numerum absolveret.

Th. XX.

Concedo morbos omnes, inquit Maynwaringius de Lue venereæ cap. 2. accidentes humana nature, non extitisse simul in mundo, sed habere prioritatem existentie in diversis seculis, consentaneam & respondentem conditioni locorum, cū inhabitari cœpissent ; ut & vario statui & alterationi corporum, per commixtionem populorum Climatum differentium, aut variis morbis se invicem generantibus affecto-

fectorum, ut & per spontaneam declinationem & degenerationem natura depravata; per diversas Dieteticas causas; insolita accidentia, & inconsuetas curas, unde novi morbi surgunt & propullulant; Veteres vari evadunt & commutantur. Stomacacen & Sceletyrben Germanicæ Cæsaris ad Rhenum castris apparuisse, Mentagram Tiberij Claudij Principatu in Italiam irrepsisse, Carbonen, Elephantiasin, Gernuram certis temporibus apparuisse, jam oblitteratas esse, Auctor est Plinius. Hippocrates non solum Thasi, Cranonis, Insularum situm accuratè depinxit: cui nam mundi plagæ essent subiectæ, Soles an meridianos, vel oppositos haberent, quas potarent aquas, cujusmodi leguminibus vescerentur, ad amussim describit: verum etiam oppidorum Cyzici, Abderis, Larissæ, Melibœæ situm privatas agrorum ades, nomina, plateas, vicos, fana, vicinos quibus domus erant contiguæ portus, quasi digito commonstrat. Legere est Philiscus ad murum, Silenus apud Platamonem, propè Eualcis filios habitantes. Erasinus juxta Bootæ torrentem. Melidia propè Iunonis sacrum in Dealcis horto. Alij propè Telluris, Herculis, Diana, adem: Mulier in mendaciorum foro, in litore, in ingressu templi Abderitani, & Thracias portas ibidem jacentes. Obiter ista parcissimum verborum, Authorem gravissimum, Hippocratem, temereque annotasse quis crediderit? Nonne exordio libri de aëre, locis & aquis, medicis eadem ut observent præcipit? Sunt verba Iordanæ de Lue novâ Moravia pag. 7. & 8.

Th. XXI.

Cur autem in specie illa febrium & colicæ minera non frequentior solum hodie sit, sed & præcipuè in eum ferociæ gradum exaltetur, ut convulsivos istos producat motus, sequentes multum virium possidebunt causæ. Aër agmen ducit, is enim modis suprà dictis nostram dirigere vitam & valetudinem valet. Impurus ergo, nebulosus, à stagnantibus aquis, cloacis, fimetis, sordibus aliis non debite repurgatis inquinatus, à vento perflante agitante non ventilatus, miasmata etiam arborum folia depalescentibus, sulphureo rore infectus, modò summè æstuans, aut summè frigidus, nimis humidus, imò dispositione non ita facile explicabili alteratus, seminium aptum continens, hîc accusatur. Nam quis non credat, morbos certas habere periodos pro occultis illis atque incomptis alterationibus, quæ ipsius terræ accidunt visceribus, pro variâ scilicet ejusdem ætate ac duratione, concurrente astro- rum variâ conditione; hinc sicuti alii morbi jam olim extitère, qui vel

penitus non, vel rarissimè amplius observantur præ ætate quasi exoleti, ita, quin hi nunc dominium obtinentes cessaturi aliquando sint, succedentibus aliis, quis dubitabit? A vento Boreali Aërisque frigore, & secuto æstu magno, acidos acriores humores redditos febrem Epidemiam Lugduni Batavorum plures affligentem causantes Ao. 1667. deducit Sylv. *Prax. Med. append. tract. 9.* Affectum alium Epidemium gravissimum, in plurimis nostros referentem, ex Aëris subitis mutationibus, noxiâ verò dispositione perdurante, in specie, quòd Lugdunum aquis mobilibus careat, stagnantibus & à ventis non agitatis hinc corruptis scateat, derivat idem l. c. *Tr. 10.* Quantum loca, per quæ venti transeunt, valeant, Auster Tubingæ nostræ non tam nocens, quàm proficiuus, per Alpes vicinas permeans testatur. Certas ortûs & occasûs periodos, frequentia & raritatis typos, symptomatum species varias accuratus observator in nostris notare & posset & deberet.

Tb. XXII.

Ciborum copia, qualitates perversæ & utendi modus depravatus quovis quidem tempore invaluerant etiam ante hoc seculum. Verùm antam grandia in varietate ciborum, in delicatâ sed Naturæ non amicâ per sive saccharum s. aromata s. alia conditura, in inassueto præparandi modo commissa olim sint errata, valdè dubito. Condimenti verbum ignotum fuisse Priscis Hercul. Saxonia, Urbem Romam 300. annos absque Medicis ob tenuem & simplicem victum fuisse Abij scribunt. *Medicina* quondam paucarum fuit scientia herbarum, inquit Seneca, quibus sisteretur fluens sanguis, vulnera coirent paulatim: deinde in hanc pervenit tam multiplicem varietatem. Nec est mirum, tunc illam minùs negotij habuisse, firmis adhuc solidisque corporibus & facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto. Qui postquam cepit non ad tollendam, sed ad irritandam famem quæri, & inventa sunt mille conditura, quibus aviditas excitaretur; quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor, & nervorum vino madentium tremor, & miserabilior ex eruditatibus, quàm ex fame macies. Inde incerti labantium pedes; & semper, qualis in ipsâ ebrietate, titubatio. Inde in totam cutem humor admissus, distensusque venter, dum malè assuescit plus capere, quàm poterat. Inde suffusio lurida bilis & decolor vultus, tabesque in se putrescentium; & retorti digiti articularis obrigescentibus, nervorum sine sensu jacentium torpor, aut palpitatio sine intermissione vibran-

brantium. Sunt verba Plempy de valet. togat. tuend. cap. 10. p. 325
& 326.

Th XXIII.

Crapularum excessus Germanis omnibus familiaris dicitur, licet
& Veteres & aliæ Nationes non liberæ penitus ab hoc vitio fuerint, quod
Plutarchus, *Drusus*, *Horatius*, *Antonius*, *Martialis* & Alij testantur.
At quin junctus aliis causis multum hinc exerat virium, non ambigo,
præsertim si immoderate potentur vina tartarea, sulphurea, poten-
tia, horna, non debite defæcata; nimis etiam (quod tamen de Patriâ
nunc meâ non dixerim) acida, nimis sulphuris fumo imbuta, hinc illa
ab *Helmontio* tam commendata hinc non laudarem, *Marcasitâ* plumbi
(cujus vitium etiam figuli & metallorum coctores colicæ valde obnoxii
luunt) sobole nimis tincta, licet non ubique obvia, in ò, cui ego hinc
multum tribuo, hodie vel pro generositate, spirituositate, sapore, odo-
re, colore grato conciliando vel quocunque modo emptoribus allicien-
dis, frequentissime variis, quæ revelare non licet, artificiis non nativa
amplius, sed exaltata, medicata, cur non dicere liceret, sæpè depravata.
Ex vino *Pictonum* *Endemiam*, *Molinesibus* & *Parisis* Sporadicam de-
ducebat *San Jacobus* Pr. Med. MS. teste *Welsch*. *Exoter. Cur. Chiliad. 14*
observ. 330. In *Alvernia* frequentiore Epilepsiam fumosis crudis aliis
permixtis vinis adscribit *Rondeletius* *Meth. cur. morb. l. 1. c. 36.* Præ-
sertim verò multum confert, si puer aut juvenis sub educatione adhuc
strictiori detinendus frænis laxatis liberè modis istis & aliis peccat, nam
flamina hinc jacentur, & sæpius viri ac feminae luunt, quæ juvenes, pue-
ri aut puellæ peccarunt. Comprobat dicta feliciter sæpè curatio & præ-
servatio per abstinentioniam à vino instituta.

Th. XXIV.

His di&is præsertim si accedat *Vita Seditaria*, quæ suas egregiè
huc confert operas, *Venus* item *immodica*, *inordinata*, de quo vitio fre-
quentiore Sacerdotes Politici & Ecclesiastici conqueruntur. Sicut enim
ista cumulat acres humores, ita hæc exhaustis demulcentibus acriores
reddis, & dissipatis spiritibus, nervosum genus ad malum hoc disponit.
Accedente etiam frequenti, vehementi irâ, ex justis etiam causis officii
ratione ortâ, quæ validas in corpore turbas, fluctus contrarios & effra-
nes humores gignere solet. Bellum huic addo consortio, hoc enim non
solum Parentes & Apos nostros in formidinem & terrorem egit, semi-

nja pavoris nobis communicantes, sed & in nobis pro majori vel minori animi præsentia & virilitate leviozem modò, modò Panicum terrorem, qui vel solus ad producendum symptoma nostrum sufficit, aut ad minimum caractere ad illud proclivi tingit, suscitavit; quò & quid fecerit illa Castrensis Lues proximè elapso, & per DEI Gratiam (Largiatut Ipse! absque recidivâ pejore) finito bello ab hybernantibus militibus nobis communicata, proh dolor! novimus omnes. Contagiosa n. non solum illæ militares, sed & hæ febres sunt, nec Colica ista omnis contagii expers; In uno ergò vel altero solum homine ex dictis vel aliis causis hærens, tincturam in amplum multiplicabilem communicat, & ita ex unâ domo plures imò integræ civitates infectæ, instar hospitalium, talibus ægris replentur. Quæ etiam tinctura à Parentibus ab ipso nostro symptomate detentis, aut Ejus seminia foventibus in Natos propagatur. Ex Parentum otio Romanis Magnatibus frequentem fuisse Epilepsiam censet *Panarolus Iatrologism. pentec. 4. observ. 42.* Cur Florentiæ magis familiaris sit, quàm in Aliis Italiæ partibus Epilepsia, causam inter alia ponit *hereditatem Rondeletius l. c.* Est & tandem causa, sæpè præcipua, quam libentiùs reticerem, *Medicorum* nempe, aut *Medicastrozum* potiùs, quorundam, minùs prudens, minùs dextra, licet sæpè communis, dictos affectus curandi Methodus, unde isti, dum ante debitum tempus, quod & morbi habent, quasi cogitentantur, exardescetes exaltati in tetrum nostrum abeunt malum. Medici in Galliâ à tribus SSS. denominati multum hîc faciunt. *Oethaus* apud *Sehenckium* in *observ.* quosdam febricitantes in colicos dolores insanabiles, quos tandem Epilepsiæ secuti sint, ex negligentia Medicorum incidisse testatur.

Th. XXV.

Causam Primariam prout recensendam locò, peccata nimirum nostra frequentiora, atheismum speculativum ac imprimis practicum communiozem, & hinc crescentibus delictis etiam crescentes DEI pœnas exponendas Theologorum relinquo Cathedris, non tamen ac si Metropolis Incolæ præ aliarum civitatum & ditionum incolis peccassent, sed alias ob causas. Dissertit *Sylv. l. c. p. 815.* sequenti modo: Non quòd putem, bujus Urbis incolas in DEVM peccasse graviùs, quàm vicinarum Urbium, aliarumque Regionum remotiorum habitatores, sed quòd libuerit DEO in judiciis suis imperscrutabili horum castigatorum exemplo alios ad resipiscentiam hortari, ne, quod frequentius fieri solet, illam ne-

gligen-

gligentes castigantur postmodum his adhuc gravius. Quod Medicos etiam decet ad animum revocare, nè purent ad secundas duntaxat ipsis attendendum causas, sed ad Primam quoque assurgendum; quippe, quæ secundis imperat, nec Remediis Medicorum benedicit, quamdiu perdurant in peccatis suis Ægri, ad poenitentiam subinde à Medicis quoque monendi. Vtique imperitus, eorumque, quæ indies fiunt, planè ignarus est ille Medicus, qui non videt, qui ad animum non revocat, toties impeditam medicamentorum etiam optimorum & usu longo compertorum vim, efficaciamque, haud dubiè ab irato DEO, Ægrosque ad resipiscentiam salutarem per immissos ipsis morbos invitante & hortante. Tantum enim abest, ut Medicina, quod improbè nugantur aliqui, Alumnos suos ad profana ducat; ut contra pietatem ipsis, charitatemque Christianam potenter inspiret, quibus si destituantur aliqui Medici, hoc Arti, quam profitentur, non est adscribendum, verùm proprio vitio, & malignitati Cordis DEVM nec satis agnoscentis, nec satis colentis. Causas duas à Quibusdam huc reduci solitas, *Naturæ* nim. defectum & *Veneficium* excluderem, quanquam ad hoc postremum Quidam tanquam ad sacram anchoram aut asylum recurrant, si crudus ægros tales tractandi modus vel Ipsis vel mulierculis vel etiam Aliis subitam morbi curationem impatienter urgentibus non satisfecerit.

Th. XXVI.

Recensitarum ergò causarum, si una vel altera, vel plures simul illam aliàs acrem mineram ulteriùs acuunt, illas jam dum, in Colica præsertim, (spasmodicæ enim tensiones, vomitus, tremores, dolores scrobiculi cordis & alibi constrictivi, motus convulsivi particulares varii, præcipuè & Epilepsia haud rarò in talibus casibus causæ saltem vehementiâ & diffusionem differunt) laceritas & irritatas membranosas nerveas partes magis pungunt, vellicant, (annon si in Ens tertium, quod, sed diverso modo in Paresi fieri videtur, transmutant?) ut Spiritus animales à suo Duce instructi illud adversum, acre propellere per fibrarum motum conentur, in dictis affectibus Epilepsia exoritur & quidem, quia istæ causæ frequentiores, itidem frequentior.

Th. XXVII.

Infantes etiam malum hoc frequentius hodie infestat, istos potissimum, qui Matres, Nutrices quæ dicta peccantes nacti sunt, qui lac superfluum, quod quotidie ferè fit, postea acescens sugunt, qui causis suprà dictis frequentius subjiciuntur, quibus meconium, transpi-

ratio debita valdè necessaria detinetur, qui lac in pulticulis à vaccis pro variâ alimentorum conditione diversimodè constitutis non debitè famis comedunt, qui pultem nimis copiosam, nonnunquam malè præparatam, usurpatam assumunt, qui partes nervosas huic affectui aptiores habent. Ex his nim. causis facile acidam acrem in tam tenello corpore contenta contrahunt indolem, quæ membranas nerveas aptas lacerando in istum fibrarum motum Spiritus animales agunt. Matres gravidæ aut nutrices, si appetitui nimis indulgent delicatulæ, frequenter ac vehementer irascuntur aut expavescunt, terrentur, temulentæ, Veneri nimis deditæ, morbosæ sunt, quàm facile nostrum tenellis infantum corporibus instilletur malum, quotidiana loquitur Experientia. Ignaviæ nutricum *Panarolus l. c.* *Petrus de Peramato* nimiam cunarum agitationem accusat. Qui liberi ab uno aut altero è dictis malo manent, à causis istis partim non afficiuntur ob resistantem sex rerum non-naturalium usum aut nativam dispositionem, partim immunes sunt ac exempti.

Th. XXVIII.

Imponerem nunc Disquisitioni finem, nisi Curationem etiam frequentioris hujus mali à me flagitari suspicarer. Dictis igitur affectibus si aut accedit aut succedit *Epilepsia*, in ipso paroxysmo naribus admoveatur *ol. essent. succini, spir. salis armon. urina volat. C. C. vol. ol. succin. camphorat. Aq. epilept. Lang. acet. ruthæ*, (non tamen in omnibus casibus) *Bals. ruth. succin. Castor. as. foetid. galban. succin. camphor. accens. ruth. virid. contus. frictiones* extremorum pannis aut aliis asperioribus deorsum factæ, *punctiones, vellicationes, vehementes acclamationes* quæcumque, licet Quidam certis verbis faveant, instituantur, ut non solùm acriora ista miasmata discutiantur, sed & Spiritus animales cum suo Duce revocentur. Inter dentes, nè linguam præscindant, ut spumæ pateat exitus, & respiratio juvetur, instrumento diductos, vel primo statim insultu antequam constringantur, ubi opus non est diductione, inferatur *vis. quern. bacill. liquirit. rad. pæon. succ. ruthæ s. ol. rind. saccul. ex masticator. & antispasmodicis. Crusta panis* tosta sale fricta fervens plantis pedum applicetur. Naribus insufflare *sternutatoria* Quidam suadent. *Pollicis* è manu evulsionem muliercularum superstitioni adscribo. Præceveatur brachiis, culeicris, substerniculis, pulvinaribus & aliis, ne in terram prosteratur æger, partes parietibus, solidioribus aliis, allidat ac lædat, non tamen membrorum convulsivè motorum omnis cohibeatur motus.

Vertici spinæ inungatur spiritus ex volatilibus antispasmodicis vel oleum, ex. gr. lumbricor. è floribus Storac. vulpin. axung. human. Linguae & palato theriac. mithridat. aq. ruth. dissolut. illinere præcipiunt Authores. Pulli columbini dissecti capitique calidè admoti à nonnullis magnifiunt, Sequentis mixtura 2. aut 3. cochlearia frequentius instillantur, injiciantur, (probè tamen nè suffocetur æger, prospiciendo) R. Aq. birund. 6. castor. ℥ij. ceras. nigr. fl. til. a. ℥j. Syr. pæon. ℥℥. M. Vel. R. Aq. epilept. Lang. lil. convall. a ℥j℥. Essent. castor. ℥℥. Iulap. Alexandr. Londin. ℥℥. M. add. nonnunq. Spir. C. C. volat. sal. armon. Mox post paroxysmum, præsertim *αἰααδ* *νοία* si diutiùs persistat, præter pleraque dicta continuata, Vesicatoria applicentur suris, brachiis, imò aliquando cauteria, Enema injiciatur sequens vel simile: R. sol. ruth. majoran. fl. chamomill. an. p. j. rad. pæon. ℥℥. Coq. in aq. font. s. q. ad remanent. ℔℥. Colat. add. El. lenitiv. hier. picr. a. ℥℥. ol. ruth. castor. a. ℥j. Mell. anthos. ℥vj. Nitri antimoniati. parum. M. F. Enema. Aliquando electuaria illa omitterem, Acria suppositoria hinc etiam multum prosunt, quale illud in Collegio MStor Excell. Dn. D. Mezgeri, Patroni mei piè colendissimi: R. Elect. hier. picr. stercor. muris. a. ℥j. sell. taur. inspiss. ℥℥. Mell. anthos. q. s. F. suppositor. ol. ruth. & castor. inungend. Paroxysmo finito exhibeantur ægro, applicentur medicamenta ipsi, primo affectui opponenda juncta nunc antepileptica, imò urgente nostro symptomate hæc sola. Jungantur ipsis alexipharmacis, diaphoreticis, antifebrilibus variis internis sive anodynis, temperantibus aliis, quæ dicti morbi secundum Experientiæ & Artis præcepta requirunt, antepileptica aliàs dicta, quæ & nonnunq. sola conveniunt, imbibentia majori quantitate, dulcificantia volatilia aliquando minori quantitate, aliquando his omissis. E.g. ex Cran. homin. phil. calc. Corn. alcis phil. calc. ungu. alcis præp. Corall. præp. Crystall. præp. Ebor. præp. pulv. pannon. rubr. cinab. nativ. Agagropil. C. C. phil. calc. castor. visc. quern. rad. pæon. valerian. sem. pæon. gelatin. Corn. alc. Sal. C. C. succin. volat. cran. hum. vol. & similibus; Pulv. marchion. simpl. & Epilept. mirab. M. mixt. Pulv. Marchion. composit. hinc frequentissime solet exhiberi, at necesse est, ut antepileptica illi addantur, nam cordialis, alexipharmacus, absorbens saltem est. Pil. extheriac. cælest. castor. extr. cinab. nativ. mixtur. antè descripta, Elect. ex cons. fl. pæon. acetosell. carn. citr. cond. &c. Clysteres, externa & alia dicta continuentur. Varia alia, ut & laudata Amuleta, ex Practicis & ma-

teriarum Medicarum supellestile hautire licet. Sal in quovis hominis sanguine volatile cur non à nostro præservet symptomate, vid. *Excell. Borrich. in Ad. Hafn. vol. 2. observ. 68.* Ex animalibus desumpta plura hinc commendant Authores, & potissimum inter hos *Franciscus Velez de Arciniega*, *Histor. de los animales mas recibidos en el uso de la Medicina.* Anodyna, Opiata non rarò hinc multum valent, dum Archæus demulcetur aut quasi ligatur istis. Pulverem Anodynum Magnif. Dn. Præsidi hinc commendo. Externa abdomini illinenda ex paregor. antispasmodic. umbilico instillanda sunt, ol. succin. camphorat. Bals. Zibeth. &c. Membrana ventriculi aut intestinorum tenuium nervea si in istas opitulantes turbas à quodam laceffente in ventriculo hærente agitur, nisi fortè obstat prohibens, si præsertim ad superiora viam affectet causa & facillè vomat æger, per Vomitum Tartar. emet. aut ol. amygd. d. vel alia inductum ab hoste liberetur; hinc aliquando, sed non semper, talia laudem reportant. Si nimius sanguinis fervor, impetus, copia aut rerentio adest, Venâ sectâ mitigetur, sufflaminetur, imminuatur, promoveatur, nisi adsit prohibens; virium potissimum respectus habendus; Nonnunquam & cucurbitula scarificata, hirudines haud parum juvant; nec suâ laude non scarificata hinc privandæ. Febricitantes autem aut Colicos, nè ab hoc corripantur portentoso malo, Præservaturus Medicus, ut causas omnes dictas, quæ amoveri valent, amoveat, quæ non, corrigat, emendet, enervet, infringat, legitimam per longum Medicorum Prudentium usum firmatam Methodum his morborum speciebus debitam ut observet, omne adhibeat Studium. Infantibus pleraque ex dictis prosunt, præsertim pulveres imbibentes cum Aq. Senec. & Syr. præon. exhibit. Linctus seq. Recip. ol. amygd. d. (probè cavendum ne rancidum sit) ℥jss. Pulv. march. ꝑ. ℥jss. cerebr. Orc. ℥ss. sacch. penid. parum. Enemata. ex lacte & ol. ruth. ex decoct. fl. chamom. & ol. castor. Syr. d. mann. Diaser. pulv. Ialapp. &c. educunt superfluos humores. Lenissima quidædam in casibus prosunt emetica. Lactis, pulvis, matris, nutricis vitia corrigantur, accidentia externa quantum licet abigantur, præcaveantur, causa interna removeantur. Omnium rerum non-naturalium usus s. Diæta quomodo instituenda, inter causas, supra & hætenus adducta probè pensitata, cum consideratione eorum, quæ febribus & colicæ debentur, prudentem informabunt Medicum.

*His claudio, DEV M T. O. M. Summum Corporis & Anima Medicum pro
avertendis omnibus malis ardentissimè invocans, & pro directo huius
usque Studiorum cursu Gratias agens
Æternas.*

Certius Alter eris, Patriæ reddendo Salutem,
Si simul accedat Propria, Major eris.

Bene ominatur prosperrima quæquæ apprecans

PRÆSES.